Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS DE MERCATORE FALSO CENSVM PROFITENTE

Quam

DIVINA FAVENTE GRATIA

DECRETO ET AVCTORITATE

MAGNIFICI ICC. ORDINIS

IN ILLVSTRI SALANA

PRAESIDE

IO. PHILIP. SLEVOGTIO

IC. CONS. SAXON. ET ANTECESSORE
FACVLTATIS IVRIDICAE ET SCABINATVS SENIORE
ITEMQVE CVRIAE PROVINCIALIS ADSESSORE

PATRONO SVO HONORATISSIMO

PRO LICENTIA

SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES ET PRIVILEGI
rite capessendi

IN AVDITORIO IVRIDICO

Solenni eruditorum examini horis ante & pomeridianis submittit

CHRISTIANVS CHRISTOPH. DIMPFELIVS
RATISP.

Ad. D. NOVEMBR. M DCC I.



Litteris JO. ADOLPHI MVLLERI.



B. C. D.



Vix supremam manum imposueram dissertationi meæ De rigore iuris, ductu Guilielmi Marani, antecessoris Tolosani celeberrimi, in comment. duobus de *æquitate sive iustitia* elaboratæ, cum, nescio quo fato, nobilissimus atque consultissimus vir GEORGIVS SCHVBARTVS Eloqu. & Hist. P. P. inopinata morte mihi heu! eriperetur: sub cuius præsidio illam publicare animus erat. Ex illo tempore a me impetrare non potui, vt laborem istum lima perpolirem, ob nimium dolorem, quem ex obitu tanti Viri, præceptorisque mei fere per quinquennium fidelissimi contraxeram. De alia igitur materia mecum inire consilium cepi, cum mihi iussu & autoritate Illustris Facultatis iuridicæ, pro summis in vtroque iure honoribus ac priuilegiis rite consequendis, incumberet publicum studiorum meorum edere specimen. Occurrebant quamplurima explicatione non adeo indigna. Verum enim est, quod Baldus *in pro-*

legom. ad decret. ſcribit : *tantum adhuc reſtat operis, vt etiam poſt mille ſecula nato occaſio aliquid inueniendi, aut inuentis aliquid adiiciendi defutura non ſit.* Attamen curam non leuem adhibere debemus, ne in rem, quæ nihil momenti, nihil vtilitatis adferre hodie poſſit, aliquid operæ aut temporis inſumamus : ſed potius Imperatorem noſtrum imitemur, qui ſe nihil inutile, nihil perperam, ſed quod in ipſis rerum obtinet argumentis poſuiſſe affirmat. *procem. Inſtit.* §. 3. Cumque nonnullis in locis obſeruetur moribus, vt *mercatores omnia bona ſua profiteantur. Quo neglecto aut ipſis viuis, aut ſi poſt mortem illorum appareat, quod candide hoc non fecerint, heredibus reſiduum eripiatur,* placuit exercitii gratia, hanc rem paulo luculentiori ſtylo tractare. Equidem profiteor me huius materiæ dignitati, difficultatique imparem, ingeniumque requiri ad hoc opus abſoluendum & maiori rerum cognitione & longa experientia ſubactum : nihilominus tamen aliquid audendum eſt, ſecundum illud tritum, qui nunquam male, nunquam bene. Veniam igitur facilem me abs te B. L. impetraturum ſpero, ſi in hiſce erratum, aut quid parum accurate poſitum fuerit. Verum vt eo felicius labor noſter procedat, diuinum imploramus auxilium, in cuius nomine ad omnia conſilia, omneſque actus ſemper progredimur.

CAPVT I.

§. I.


Apienter diuinus Plato monuit, quod sit ὄνομα τ᾽ ὄργανον διδασκαλικὸν καὶ διακριτικὸν τῆς οὐσίας, ὥσπερ κερκὶς ὑφάσματος: & Imperator in *l. 1 ff. pr. de Iust. & Iur.* quod cuiuscunque vocabuli euolutionis, ac distinctæ acceptionis merito prior sit habenda ratio. Idcirco non male me facturum arbitror, si pro consuetudine recepta pauca quoque de vocum origine, variaque significatione, quæ in inscriptione dissertationis nostræ occurrunt, præmisero. Quod enim consuetum, est necessarium, & consuetudo ceu vsus practicus ad vnguem obseruandus. Bald. *in l. quicunque 4 n. 18 C. de seru. fugit.* Philippi in Vs. pract. *ecl. 25 lib. 1 n. 11.*

§. II.

Mercator vnde adpelletur, omnibus patet: quare etiam nec opus erit, vt multa de eo dicam, secundum Aristot. *lib. 2 Rhet.* monitum, nugatorium dicere manifesta. Scilicet mercator denominatur non a merce, vti quidem vult Scaccia *de commerc.* §. *1 quæst. 1 num. 11*, sed a verbo *mercari*, quod est lucri caussa mercaturam exercere, vel etiam simpliciter emere: sunt enim hi, qui res emunt, quas in eadem specie carius vendant Alciat. *in Com. ad tit. ff. de V. S. l 66 n. 2.* Klockius *lib. 2 cap. 25* §. *1 de ærario* adducit aliam deriuationem nominis, & dicit mercaturam, ac sic per consequentiam etiam mercato-

rem,

rem, nomen habere a *merendo*, quod est vocabulum virtutis, qui illam accusat, videtur virtutem accusare, quæ omni caret turpitudine,& vinculum est arctissimæ coniunctionis inter homines.

§. III.

Quemadmodum vero plurima vocabula ob vocum penuriam diuersas habent significationes: quippe natura rerum ita comparata est, vt plura sint negotia, quam vocabula, *l.4 ff. de P.V.* & Seneca *lib.2 de benef. cap.34* est, inquit, ingens copia rerum sine nomine, quas non propriis adpellationibus notamus, sed aliunde commodatis. Ita quoque mercatoris vox vel sumitur late, & comprehendit 1) *lenones*, quos Pollux inter mercatores,& Imperator quoque *in l. vn. Cod. de lib. lat. toll.* §.4 refert verbis hisce: *qui enim ita demum degener & impius constitutus est, vt talem exerceat mercationem, quomodo dignus est, vel ancillam vel libertam eam habere?* hos tamen non sine caussa Lauterb. *in diss. de iure in curia mercat. vsitato* §.*10* negat mercatores esse. 2) *Vsurarios* dicunt quoque esse mercatores. Ita enim Stracha *p.1 num. 27* dicit, hanc mercaturam dici posse, sed illicitam. Ast negatiua verior per *l. quæsitum 12* §. *idem de fund. instr.* vbi mercator & fœnerator, vt diuersa ponuntur. Sed clarior adhuc res patet ex *lege cuicunque 5* §. *Labeo 4 ff. de inst. act.* vbi dicitur, *si quis fœnerandis, agris colendis, mercaturis, redempturisque faciendis præposuerit, in solidum eum teneri.* 3) *locatores equorum* mercatorum nomine veniunt *in l. legatis seruis 65 de leg. 3,* & Baldo aliisque compluribus: quos tamen Lauterb. *in cit. disp.* §. *9,* refutat.

§.IV.

§. IV.

Vereor, ne nimis longus forem, si varias species recensere vellem, quibus mercatoris vocabulum tribuitur. Vid. Lauterb. *dict. disp.* vbi exponit aliquot thesibus, qui mercatores dici possint, nec ne. Sufficiat, quod stricte accipiatur pro illo, qui mercaturam licitam & honestam exercet, merces emendo & vendendo magna copia exteris, atque interdum cum auersione. Et in hac significatione nobis heic venit.

§. V.

Dicuntur alio nomine *negotiatores*, vocabulo late accepto; alias negotiator & mercator differunt. Mercatores enim dicuntur, qui, cum Romae domicilium haberent, interdum tamen exportandarum vel importandarum mercium caussa in prouincias ad aliquod tempus excurrebant. Negotiatores vero ciues quidem erant Romani, sed in prouinciis sedem fortunarum suarum constituerant: sic vt raro in vrbem, nec fere nisi censendi caussa redirent, quales erant aratores, pecuarii, argentarii. Cicero *in Verrina* 3. *Ciues*, inquit, *habent propinquam fructuosamque prouinciam, quo facile excurrant, vbi libenter negotium gerant; quos illa partim mercibus suppeditandis cum quaestu compendioque dimittit, partim retinet, vt arare, vt pascere, vt negotiari libeat, vt denique sedes ac domicilium ponere.* Moribus nostris videtur haec differentia nullius esse momenti ob mutatam reipublicae formam. Nihilominus tamen aliqua adhuc est differentia inter mercatores ipsos, vt illi, qui in ciuitatibus, siue illae sint liberae, siue municipales etiam, in apertis tabernis merces vendunt; Die eine offene

Hand-

Handlung haben/und die Wahren verschneiden / dicantur mercatores, illi vero, qui clausis tabernis in distitas & remotissimas terras negotiationem exercent die eine zugethane Handlung führen / und mit gantzen Wahren handlen sint negotiatores potius. Et talem intelligimus, dum de mercatore nobis sermo est, quia & is mercator suo modo dici potest. Plus enim est negotiari, & latius patet quam mercari. Scaccia *de commerc.* §. *1 quæst. 1 num. 12.* Vocantur mercatores etiam *mercurii siue mercuriales.* Marquard. *de iure mercat. lib. 1 cap. 1 num. 43.*

§. VI.

Quis igitur de iure dicitur mercator? Bartolus *in l. legatis ff. de legat. 3* quem & alii ibi sequuntur, ait, illos dici mercatores, qui quæstuariam negotiationem faciunt, intelligendo tamen de illis, qui non vnicum actum mercandi exercent, sed assidue mercantur & nundinantur: quia verbalia alicuius officii significatiua, vt mercator, hospitator, uno actu non verificantur, sed requirunt assiduitatem: vid. tamen exceptionem apud Bertachinum *de gabellis p. 6* §. *22 num. 42.* Chassan. *in consuetud. Burgund. rubr. 4* § *1* quinque copulatiue requirit, vt quis dicatur mercator, quæ late examinat Petrus Foller. *in addit. ad Marant. speculum aur. p. 4 dist. 9 num. 59.* 1) quod sit descriptus in matriculam mercatorum 2) exerceat artem 3) maiorem partem fortunarum quis habeat in negotiatione 4) per se ipsum, non per factores 5) non vnicum actum sed plures mercandi exerceat. Verum alii Dd. quos vid. apud Foller. d. l. tertium & quartum requisitum recte reliciunt. Sed neque primum semper locum habet. Licet enim hoc de illis locis facile concesserim, vbi mercatores

tores

tores sua collegia habent, & in iis matriculas, quibus inseruntur nomina mercantum, veluti in plerisque Germaniæ ciuitatibus Anseaticis & maritimis id obseruatur, quo introducto requisitum est necessarium, ad id genus mercimonii neminem admitti nisi nomen ibi profiteatur, & recipiatur. Sunt tamen complures aliæ ciuitates, in quibus talia collegia recepta non sunt, sed libera est mercandi licentia; & tamen merito mercatores dicuntur. Vid. Meuius *ad l. Lub. p. 3 tit. 6 art. 21 p. m. 149 num. 11 seqq.* Ex consuetudine igitur res est æstimanda. De quinto vid. Bertachin. *cit. loc.*

§. VII.

Census a censendo dictus siue æstimando Faust. *de ærar. class. 1 cons. XI, ord. XI,* varias recipit significationes. Census dicitur *tributum*, quod fundus præstat. Est enim onus agrorum, non personarum. Gothofred. *in rubr. ad tit. Cod. sine cens. vel reliq. fund. compar. non posse*: tributum in caput, *capitatio*; tributum in solum vel agros *census* vocatur: quod a Platone *lib. XII de rep.* probatur, qui ex censu cuiusque & annuis reditibus tributa indicenda ait. 2) Census nomine *substantiæ, bona, fortunaeque* comprehenduntur. Cic. *orat. pro Q. Roscio.* 3) Census denotat *pensionem*, quæ pro prouentibus soluitur. gl. *in c. 1 de rest. in integr.* 4) Pro *rerum personarumque descriptione* accipitur *l. 2 §. post deinde. ff. de O. I.* Et est nihil aliud, quam publica patrimonii singularium ciuium descriptio & æstimatio. Græcis τίμημα æstimatio, vel ἀπογραφή, descriptio. Germanice Schätzung. Ita Theophilus *in Paraphrasi §. Et dedititios. tit. de libert.* censum dixit descriptionem patrimonii, continens pro con-

 tento,

tento, & cauſſam his verbis *κένσος ἦν σανὶς ἤτοι χάρτης, ἔνθα Ῥωμαῖοι ἀπεγράφοντο τὰς οἰκείας περιουσίας, ὅπως τῷ ἐν καιρῷ πολέμου κατὰ τὸ μέτρον τῆς ἰδίας ὑποστάσεως ἕκαστον εἰσφέρειν* i. e. cenſus ſignificat tabulam aut chartam, in qua Romani facultates ſuas conſcribebant, vt belli tempore pro modo patrimonii ſui, vnusquisque conferret.

§. VIII.

Inſtituit cenſum primus Seruius Tullus, ſextus Romanorum Rex. Ita enim Liuius *lib. 1. c. cenſum*, inquit, *inſtituit Seruius, rem ſaluberrimam tanto futuro imperio, ex quo belli pacisque munia non viritim vt ante, ſed pro habitu pecuniarum fierent. Tunc claſſes centuriasque & hunc ordinem ex cenſu deſcripſit vel paci decorum vel bello.* Cum enim compendia & tributa, die Steuren/iuxta normam æqualitatis exigi oporteat: æquitas autem potiſſimum ex proportione bonorum conſideranda & ponderanda ſit: at proportio inueſtigari nequeat, niſi ſingula bona excutiantur, inquirantur, & æſtimentur, idcirco inſtrumentum adinuentum fuit cenſus, quo ſingulorum ciuium patrimonia æſtimentur, & cenſeantur, qui nihil aliud eſt, quam æſtimatio & deſignatio bonorum ſingularium ciuium publice facta. Feſtus in verbo *cenſores*. Eſt enim *cenſere* æſtimare, & cenſus æſtimatio bonorum, quod tanti quisque res ſuas æſtimaret, quanti cenſores cenſuiſſent. Nam profeſſio bonorum a priuatis ſubſignabatur, & ad ærarium deferebatur. Bod. *lib. VI. de rep. 1.* Hæc eadem cauſſa eſt, cur cenſus pro conſignatione ſiue tabulis publicis vſurpetur *in l. cenſus 10 ff de probat. & præſumt.*

§ IX.

Forma habetur *in l. 4. D. de cens.* Hodie etsi res sit immutata, nec amplius sint constituti censores, qui bona subditorum censeant, neque etiam requiratur vt subditi in scriptis profiteantur bona sua, nihilo minus tamen certæ sunt a magistratu denominatæ & publica auctoritate munitæ personæ, apud quas ciues oretenus tam res immobiles, ligende Gründe/ oder Hauß und Hoff/ quam mobiles, Fahrnüß und Baarschafft/ nomina quoque & actiones profiteri coguntur, idque vel sine juramento & simpliciter, vel mediante iuramento, geschworne Steuer: vbi sufficit, si quis rem æstimet pretio communi, etiamsi eam propter suum affectum ita vendere nolit. *l. pretia 63 ad L. Falcid.* Hæc omnia deinceps in librum censualem referuntur, qui vulgo dicitur æstimum seu catastrum, barbare tamen, vti notat Alciat. *reg. 1 præsumt. 10 & in l. in suis ff. de lib. & posthum.* pro quo Vlpian. *in l. forma §. si cum ego ff. de cens.* professionem dixit. Status imperii vocant matriculam. Nos Saalbuch/ cuius etymon a Francico idiomate sale siue Saal h. e. aulam deducit Christ. Besoldus *l. 1 de success. regn. diss. 11 num. 6*, seu Anlags-Steuer-oder Einlag-Register dicimus. Qui modus contribuendi censui similis, eiusque species est. Meuius *ad I. L. P. 2 tit. 3 art. 2 num. 10 in fin.*

CAPVT II.

§. I



Ed quæritur, num mercatores onera ferre cogantur eodem modo, quo reliqui, qui eandem ciuitatem incolunt, mercatores tamen non sunt: & num non solum res immobiles, sed etiam mobiles, & actiones, sibi competentes aduersus exteros, cum quibus negotiantur, indicare sint obstricti, censumque pro iisdem soluere debeant: an vero priuilegio aliquo gaudeant hac in parte? Inuenimus enim multa singularia, in iure ciuili in fauorem mercaturæ alias introducta. Lauterb. *Vol. 1 differt. de iure in curia merc. vsit.* §. 30.

§. II.

De rebus quidem immobilibus, & quæ per fictionem iuris pro talibus habentur, vix dubium aliquod suboriri cuipiam poterit, quo minus eas eodem modo profiteantur, quam reliqui suas: nam quæ diuersitatis ratio possit dari, nullus video. Tam securi, tam quieti illi eas possidere possunt, ac cœteri ciues facultates suas tenent: nemo vel auferre, vel detrimentum aliquod iisdem inferre valet, si modo diligentiam ac curam adhibere velint, quæ bonis patribus familias conuenit. Deinde nec vlla difficultas occurrit in illarum æstimatione: quippe pretium vnum fere est semper, idemque, aut saltem non adeo incertum & instabile, prout interdum in aliis rebus. Hinc vnusquisque sine vllo negotio in eiusmodi possessionum valorem potest inquirere, & quanti-

tita-

titatem illarum magistratui indicare. Quae ratio quod etiam in mercatore locum habeat, nemo non videt. Circa res mobiles vero, mercesque, vt & actiones aduersus debitores competentes, non leuia occurrunt argumenta, quae in diuersas animum abripere partes possunt. Quare etiam Doctores & interpretes iuris grauiter inter se dissentiunt, aliis aliam fouentibus & defendentibus opinionem. Sub iudice igitur lis adhuc est. Operae tamen pretium erit heic allegare illorum sententias, qui mercatores ab eiusmodi onere aut ex parte aut ex toto liberos esse volunt.

§. III.

Sunt nonnulli, qui quidem in professione bonorum nihil mercatoribus heic permittunt: attamen hoc statuunt, quod non tantum debeant soluere pro iisdem, quantum reliqui ciues. Supra iam percepimus, quod tributa indicenda sint pro viribus singulorum *l. f. C. de praed. decur. sine decret. non alien. lib. 10. l. omnes 7 C. de oper. publ.* inque huius muneris necessitate vnum locum prae alio vltra debitum grauari non debere *l. actores 4, ibi Bart. & Bald. C. de exact. tribut. lib. 10 l. 1 vbi Bart. & Dd. C. de indict. lib. 10.* Quare concludit Thomatus *de collect. in princ. num. 2 & 4, & §. retenta. nu. 2, §. subiiciunt. n. 7, quod omnes inter subditos a summo ad infimum aequaliter collecta sit distribuenda, & quod in ea seruari debeat exacta aequalitas: & ab omnibus subditis, pro modo fortunarum haec onera aequaliter subeunda, quo facilius ex ipsa aequalitate publicis officiis pareatur: & quoniam heic agitur de publica vtilitate, aequa debet esse inspectio.* Aequalitas vero ista pro-

 gor-

portione Geometrica, non Arithmetica dimetienda, vt vere iustitiæ distributiuæ locus sit. Est autem geometrica proportio cum tam in rebus, quam in personis, circumstantiarum gradus dimetimur, adeo vt numerorum collatione vel calculo neglecto, similitudinem tantum & proportionum æqualitatem retineamus: Arithmetica vero contra, vbi circumstantiis non perpensis; tantum numeri habetur ratio. E. g. ex singulis terræ iugeribus singulos nummos exigere, ab arithmetica proportione venit: quia iugera tantum numerantur, nullo terrarum vel soli, habito discrimine. Quod vero in primis habendum est, vt Geometricæ proportioni locus sit, scil. considerari debet, quæ terræ fertiliores, quæ aridiores, quæ propinquiores, quæ remotiores sint, quæ citius vel serius fructus ferre possint aut soleant: vt vno ad aliud compensato, huic remitti, intendi illi tributa æqualiter possint. Alioquin Arithmetica proportione dimetiens, vbi æqualitati se studere putauerit, ibi inæqualitatem maximam, & sic iniustitiam admitteret. Klock. *de ærario lib. 2 cap. 80 num. 29 seqq.*

§. IV.

Non iam coacervatis allegatis demonstrabo, quod magnum sit discrimen inter mercatores, & illum qui mercaturam non exercet. Non commemorabo, quod hi semper domi hæreant, nec pedem extra limites patriæ proferant: summa gaudeant tranquillitate & fruantur maxima securitate, nullis sint expositi periculis, nisi quibus fortassis tota illorum patria est obiecta. Ast illis in patria diu restare non concessum est: sed plerumque absunt; quæ illorum absentia adeo honesta reputa-

putatur, vt Imperator *in l. 5 § 3 ff. de iur. immunit.* nullus dubitauerit affirmare; *illos Reipubl. caussa abesse, dum annonæ vrbis seruiunt.* Quæ lex non tantum eos comprehendit, qui annonæ vrbis deseruiunt, sed & cæteros, qui maiorem substantiæ partem in nauiculariam aut mercaturam exercendam contulerunt. Vid. Marquard. *de iure merc. l. 1 cap. 4 num 58 in fin.* Vere Poeta canit Impiger extremos currit mercator ad Indos, per mare pauperiem fugiens per saxa, per ignes. Horat. *l. 1 epist. 1.* Eleganter certe miseram mercatorum describit conditionem, & ostendit, quanta felicitate gaudeant alii. Marquardus *lib. 1 cap. 4 num. 4.* *Si mercatorum, scribit ille, molestias & infinita pericula, quæ illi coguntur subire paulo penitius introspiciamus, quis non eos præmiis & immunitatibus dignos esse mecum asserat. Non dicam modo de salebris & asperitate regionum, vallium profunditate, torrentium impetu, magnitudine sumtuum, incommoditate viarum tempore vecturæ, annonæ caritate in illis locis, vnde merces deportantur, dissidiis nationum, disparitate religionis &c. silentio prætereo varias & quotidianas militum latronumque deprædationes & expilationes, vectigalium & gabellarum inauditas exactiones & impositiones, & huius generis innumerabilia, quorum aliquot species enarrat* Ludou. Lauather. *Homil. 119 in Ezech. quibus eorum vita & fortuna ab omni tempore, inprimis autem hoc calamitosissimo est exposita, & tot flebilibus exemplis comprobata.* Maxima vero illi mercatores subeunt pericula, qui maritimam exercent negotiationem. Qui nauigationem ineunt, eamque mercibus implent, eos periculo propinquæ mortis expositos IC. Paul-

lus

lus *in l. 3 ff de donat. mort. cauſ.* cenſet. Quid ſentiat de iisdem Sacra ſcriptura vid. Dauid. *Pſalm. 17 verſ. 26, 27* Sapient.*cap 14*, vbi pericula exponuntur. Atque eiusmodi negotiatio periculoſiſſima eſt, & fallaciſſima. *L. ciuitas C. de offic. rect. pron.* tum ob naufragia, tum ob piratas: non minus enim in mari, quam in villa, per latrunculos, See- und Meer-Räuber/ inquietari ac infeſtari poſſumus. Vlpianus *in L. 3 §. 3 verſ. inde Labeo ff. Naut. caup. ſtab. L. 19 § 2 ff de capt. & poſtl. Lege in rebus 18 pr. ff commod.* dicitur, quod latrones, prædonesque in terra, id in mari ſunt piratæ, nauigantium mercatorum ſecuritatem turbantes. Vnde non immerito quoque factum, vt ſcilicet tot laborum ac periculorum contemplatione, mercatores miſerabilibus annumerentur perſonis. Alexand. *Conſil. 130 lib. 3* Strach. *de mercat. p. 2 n. 38.*

§. V.

Ad ſola bona ſi adtendimus, facile adparebit, quanta interſit differentia, propter quam deinde etiam non leue interuenire debet diſcrimen in collectis circa illos, qui mercatores audiunt, & cœteros, qui tales non ſunt. Quodſi enim probe obſeruandum eſt in cenſu indicendo, an agri, vt paulo ante vidimus, ſint remotiores, an vero propinquiores, eum in finem, vt proportio intercedat debita: quis non eandem circumſtantiam hac in cauſſa quoque merito conſiderandam cenſebit? Certe, ſi vera fateri velimus, & rem vti eſt perpendere, mercatores non ſunt diſſimiles iis, qui agros habent remotiores. Quemadmodum enim illi maiori ſumtuum temporisque diſpendio agros ſuos conſerunt, & fructus inde colligunt, quam alii, quorum prædia vicina ſunt, &

non

non longe dissita : ita etiam cum mercatoribus res se habet. Omnis labor & molestia sustinetur in peregrinis & remotis terris, omne emolumentum & commodum venit iisdem a remotis terris. Illi, qui in ciuitatibus morantur, & aut plane non negotiantur, aut minutatim saltem, nach der Ellen und Maaß/ exspectant vsque dum aduentant extranei in vrbem, & merces vendendas adferunt; si nec hoc euenit, a reliquis ciuibus qui mercaturam in magna copia instituunt, merces emunt. Ast in mercatore res longe aliter se habet: quippe qui in remotissimas terras, ad gentes sæpe incultas & immansuetas ire cogitur, non raro cum salutis propriæ fortunarumque discrimine, maximis sumtibus, immensisque impensis, vt comparet sibi inde bona, quæ vendere rursus sub honesto lucro, sicque se ac suos sustentare possit. Fructus non in patria, sed in remotis quoque terris colligit. Qui mercatores non sunt, quales nos heic supponimus, ciuitatem frequentantibus & præsentibus res suas vendunt: si post venditionem aliquid damni rei accidit, parum eiusmodi venditores de eo sunt solliciti, quia res post venditionem perit emtori. *L. 9 Cod. de pignor. action.* Nam quia perfecta emtione omne commodum pertinet ad emtorem *L. 7. ff. de peric. & commod. rei vend.* sequitur necessario, & periculum ad eundem pertinere debere *arg. L. 10 ff. de R. I.* Mercatores contra cum mercibus suis inuiti in dissitas proficiscuntur regiones, vt vendendo easdem victum sibi quærant, relictis domi cara coniuge, carisque pignoribus; per vnum aut aliquot etiam annos in iisdem hærent, prorsus non, aut saltem interdum ad breue tempus redeunt, vt res or-

dinent familiares suas. Finge, mercatorem restare domi, & petentibus mittere merces suas: nihilo minus tamen idem erit dicendum, quod scil. emtionem & venditionem contrahat, fructusque consequatur in remotis terris: quia periculum eius est, vsque dum merces illæ peruenerunt ad istas terras. Quamuis enim Carpz. *p. 2 decis. 131* affirmet, merces mercatori petenti missas, licet de pretio non conuenerit expresse, tamen postquam itineri sunt commissæ, mitti periculo eius, qui petit: attamen hæc procedunt, si nihil aliud conuentum sit. Ast hodie plerumque hoc pactum interuenire solet inter mercatores contrahentes, nimiumque dissitos, vt tertius eligatur locus, æquali fere spatio ab vtroque distans, ad quem venditor debet merces suo periculo transmittere, emtor vero ibidem solutionem præstare. Quamdiu ergo merces ad illum locum non perueniunt, tamdiu emtor non est obligatus venditori, nec quicquam soluit. Perit igitur res suo domino, qui adhuc est mittens. Quam maxime autem ad illos accedunt, qui remotiores habent agros, illi mercatores, qui in compluribus dissitis emporiis tabernas habent, & negotiationem per institores, (aut vt ipsi vocant Factorn) exercent.

§. VI.

Præterea, si ratio est habenda circa agros, qui citius vel serius fructus ferunt, vt vno ad aliud compensato huic remitti, intendi illi tributa possint, quemadmodum supra §. 3 *in fin.* monuimus: & in hoc præsenti casu aliqua diuersitatis ratio poterit reddi. Illi, qui in ciuitatibus sunt, & parata vendunt pecunia res suas, fructus suos quasi percipiunt, & liberi sunt ab omni periculo,

lo, dumque alii pecunia sibi debita carere coguntur, vel ob debitorum fraudes & malignitates, aut alios ob casus, qui debitoribus accidunt, e. g. calamitatem belli, pestem, propter quos exactio denegatur, illi interea, nescio quæ, commoda acquirere, & lucra sentire ex pecunia accepta possunt. Alii vero, vti mercatores, qui debitorum fidem sequuntur, similes sunt iis, qui fructus serius percipiunt: sunt enim quasi in pendenti adhuc, & spes est in incerto, num saluos eos atque incolumes colligere, inque horreum, i. e. aream, recondere aliquando possint, nec ne. Et licet priores etiam quandoque fidem habeant emtoribus de pretio, certe hi sunt vel ex eadem ciuitate, vel ex eadem prouincia; adeo vt facilis nominis sit exactio. Mercatores vero debent plerumque illorum fidem sequi, quos nunquam viderunt, sed tantum per litteras cognitos habent: a quibus nonnisi post longum temporis interuallum suum consequi possunt, atque interdum etiam non sine imploratione officii iudicis, magnisque litium impensis. Cum igitur eadem ratio heic procedat, quæ circa agros occurrit, qui citius aut serius fructus ferunt, sequitur, quod etiam idem effectus adesse debeat: identitas enim rationis idem ius facit. *L. illud quæsitum est 32 ff. ad L. Aquil. L. quædam 9 § nummularios 5 ff. de edendo.* Obiiciunt heic communiter nonnulli, quod mercator ipse in caussa sit, vt tam sero fructus consequatur, cum in illius arbitrio sit, an velit sequi emtoris fidem, nec ne: atque ideo damnum quod sentit culpa sua, sentire non videatur *L. 203 ff. de R. I.* Sed hos rogatos vellem, vt sepositis grauioribus negotiis per aliquot hebdomadas tantum apud mercatores commorentur. Nullus dubito fore, vt elapso illo tem-

pore longe aliter sentiant hac de re. Ipsi viderent quam exigua illa sors sit, quæ ex mercibus pro parata pecunia venditis redigitur; adeo, vt nisi interdum mercatores permittere velint, vt emtores nomina faciant, non solum nihil lucrari, sed nec se suamque familiam sustentare inde possint. Nec infrequens altera est obiectio, quod scil. mercatores sint homines versuti, callidi, qui non omnibus statim fidem habent, nisi sciant, illos soluendo esse. Equidem lubens profiteor, quod mercatores merces non iactitent suas, & petentibus sine mora eas mittant: sed prius apud alios inquirant, num hic vel ille soluendo sit, nec ne. Quis vero nouit alterius patrimonium, quis scit, quantum alter in bonis habeat? ab externo rerum splendore iudicium ferre, nimis periculosum foret, & sæpe videtur is diues, qui pauperrimus est, & diues est, qui creditur inops. Hinc etiam amicorum, quos consulimus, responsiones semper sunt dubiæ & ancipites, nec quicquam certi inde colligere licet. Coactus igitur est mercator optima quæque sperare, Deo, fortunæque merces mittendas committere, & euentum exspectare, num debitor promissa sit seruaturus, & nomen suum liberaturus præscripto tempore. Ipse ego affirmare possum, quod B. Pater, nosque eius heredes, hodienum cum mercatoribus Brixensibus, Salisburgensibus, aliisque compluribus commercia celebremus, quos nunquam neque ipse, neque nos vidimus, fidemque illorum sequamur, ignari num diuites, num pauperes sint; nec aliud quid cognitum de iisdem habemus, nisi quod fama constat. Quæ cum ita sint, mea opinione firmiter inde nonnulli concludunt, iniquum

fore

fore, & iustitiæ distributiuæ aduersum, qua sola sustentatur ciuilis politia, Klock *de contribut. cap. 17 p. m. 405*, si mercatores onera eodem modo cum reliquis ciuibus deberent ferre. Nec consuetudinem hodie in contrarium nitentem quicquam facere statuunt. Quia si tributum est iniustum propter inæqualitatem, & iniustitia illa erit contra ius naturæ, atque ideo consuetudine contraria non purgari & penitus euerti poterit, sicut nec vsura consuetudine vlla licita reddi. Ius enim naturale & immutabile est, ac firmum §. *11 Inst. de Iur. N. G. & C.* Iurique naturali, cuius transgresſio periculum salutis inducit, nulla consuetudine (quæ dicenda verius hac in parte corruptela) aliquatenus potest derogari. *Cap. in fin. X. de consuetud. can. consuetudo distinct. 8.*

§. VII.

Porro concludimus ex antea dictis, quod cum illi, qui parata vendunt pecunia res suas in ciuitatibus, aut alia negotia gerunt non ita periculosa prout mercatorum sunt, intra anni spatium in varios vsus sortem possint conuertere, & magis sine periculo aut graui aliqua illorum molestia ex eadem lucrari, quam reliqui, mercatores scil., qui per semestre, annum, biennium, aut longius adhuc, fidem aliorum sequi debent: idcirco etiam maiora præstent onera fas erit. Exempla rem illustrant; exemplum addam: a quo facile ad similia conclusio inferri poterit. Pistor & magis & securius lucratur, quam mercator. Magis lucratur, finge enim eum centum florenis comparasse frumentum. Pane inde subinde confecto, intra mensis spatium suum multo cum fœnore recipit, repetit hoc singulis mensibus, quis negabit

gabit, eum magis lucrari per annum quam quinque ex centum florenis. Mercator, vbi semel fidem secutus emtoris, exspectare debet, vsque dum ipse veniat emtor, & nomen expungat, quod quandoque euenit non nisi post longum temporis interuallum, adeo, vt si velit computare mercator, quantum interea commodi exinde accipere potuisset, si statim soluisset emtor, facilius damnum timendum habeat, quam lucrum. Securius lucratur pistor, quia illius merces plerumque certam ac determinatam habent æstimationem, aut si quæ forte occurrit mutatio, non adeo repentina existit, aut adeo est magni momenti. At mercatoris merces sunt instabiles: dum in aliis regionibus comparat eas pretio nimis caro, si ad illa deinde peruenit loca, vbi eas vult vendere, interea ita diminutum est illarum pretium, vt vix tantum recuperare possit, quantum ipse impendit. Et hanc rationem securitatis non negligendam esse ipse suadet Meuius *in Comment. ad J. L. P. 2 tit. 3 art. 2 num. 38.* Nam cum res incerta sit, an etiam ex operis artificum & manuales artes exercentium debeatur census: multique in negatiuam inclinent sententiam, ille affirmatiuam tuetur, ex hac eadem ratione, quia securius ex operis lucrantur, quam cæteri ex suis possessionibus. Quid ergo obstat, quo minus & nos dicamus paululum immutatis verbis, mercatores non eodem modo cum aliis censui subiacere debere, quia non ita secure lucrantur, prout illi ex possessionibus suis. Rem decidimus argumento recessus Imperii *de anno 1544* §. Und dieweil nun diserte cautum reperitur, daß etliche von ihren Paarschafften des Jahrs ein mehrere Nutzung und Einkommen ohne ihre

re sondere Mühe und Kosten haben / dann von 1000 Gülden Hauptgeldes 50 Gülden / derowegen auch vor gleichmäßig angesehen und verordnet / solche Paarschafft höher als andere Güter und Einkommen zubelegen &c. Fortaßis quis instabit : ergo mercatores nihil in bonis habent, niſi nomina & actiones? hoc enim colligi potest ex verbis antea a me allatis. Respondeo quod ſic; ſimulque prouoco ad libros rationales mercatorum, quos ſi quis euoluerit, facile in castra tranſibit mea : ſi enim non omnia conſiſtunt in nominibus bona, ſaltem de maxima bonorum parte hoc affirmandum erit. Klock *de contribut. cap. 11.*

§. VIII.

Alii contra etiam circa profeſſionem mercatoribus quid indulgent, & dicunt, quod pro mercibus mercatorum nihil debeat ſolui, nec æſtimum confici. Quamuis dubia hæc quæſtio eſt & anceps, propter Dd. varias ſententias. Sunt nonnulli, qui ab affirmantium ſtant partibus. Inter quos Menoch. *conſil 9 per tot.* Tiber. Decian. *conſ. 69 num. 1 & 2 vol. 3*, qui plurimis auctoritatibus coacervatis huic aſſertioni intentiſſime adhærent. Item Meulius cum allegatis *P. 2 tit. 3 art. 2 num. 37 p. m. 307.* Argumenta, inquit, quæ in contrarium adducuntur tanti non ſunt, vt quem moueri poſſent ad abſoluendum mercatores a ſubſidiis reipublicæ. Si enim eæ rationes præualerent, vix & alii poſſeſſores non minus periculis expoſiti merito quid ſoluerent. Contrarium ergo verius, vt qui lucrum, & quidem maius atque ex aliis poſſeſſionibus ſperatur, ex mercibus quærunt, illi & inde publico ærario ſatisfaciant. Alii contra, atque illorum

non

non pauci, negant, confici æstimum, & onera pro iisdem solui. Rationem addunt sequentem, quia merces sunt diuersæ admodum naturæ a reliquis rebus mobilibus, quas possidemus: vtpote merces nihil certi habent, a fide aliena pendent, fortunæ periculo subiacent, fructus per se & sua natura sponte non ferunt, nisi adhibita hominis industria, sunt in motu continuo, hodie maioris, cras minoris, & vice versa, sunt æstimationis, atque ita confusa omnia & obscura. E contrario vero immobilia, & quædam mobilia sunt certa, non pendent ab alterius fide, nec fortunæ ictum pertimescunt, fructus proferunt sua sponte, vti etiam in animalibus videmus, nec cursum mutant, vnius sunt status & firmitatis, aperta & liquida. Quapropter in immobilibus æquum, vt illis auctis, augeatur & collectæ onus, & minutis minuatur *l. cura §. deficientium ff. de munerib. & honor. arg. L. omnes C. de censib.* Quæ sane ratio non videtur mercibus conuenire ob frequentem mutationem, alioquin quotidie noua æstima essent conficienda, quod durum, & pene impossibile est. Immo clara & liquida cum obscuris & difformibus miscerentur, quod minime in æstimo procedit. Ita in hac specie argumentatur Iac. Mandel. de Alb. *Cons. 38 num. 6.*

§. IX.

Alias rationes vid. apud Surd. *consil. 146 num. 6* Borell. *consil. 63 num. 23.* Crauetta *consil. 497 num. 3 vers. quinto* ideo putat merces mercatorum non æque oneribus premi ac alia bona stabilia, quod sint obnoxiæ multis casibus belli, pestis, illationum incendii, ac debitorum foro cedentium. Sed horum opinionem, licet quan-

quandam æquitatem præ se ferat, maxime cum vires patrimonii mercatoris plerumque in incertis nominibus consistant, nec in puncto iuris defendi posse, nec in praxi seruari, affirmat Klockius *cap. 11 de contrib.* teste Florez de Mena *pract. quæst. 21 num. 60*, vbi subdit, quod alias mercatores, qui vt in pluribus locis non habent alia bona, quam merces, de facili nobiles fierent, & defraudaretur fiscus suis collectis & tributis. Verum, si permissum est dicere quid sentiam, neque hoc statim sequitur, quod vult Florez, datur enim tertium, vt scil. propter hanc incertitudinem magistratus transigat cum mercatoribus, vt certam summam quot annis per auersionem soluant (Germanice Ding-Geschoß) cuius hæc est natura, vt nec amplius exigi, nec minus solui possit per singulos annos, quod tamen intelligendum facultatibus sic stantibus, prout fuerunt tempore contractus. Sic enim vtrique parti consuleretur: & magistratui, qui certi quid acciperet pro incerto, & mercatoribus, qui, dum sibi vident hac via satis prospectum esse, proniores forent ad soluenda ea, quæ magistratui debentur.

§. X.

Denique ita antiquissima consuetudine in Italia obseruatum esse, de mercibus scil. & negotiationibus non esse solutas collectas, nec æstimum confectum, ex Iason. *in L. decem num. 34 de V. O.* asserit Andr. Alciatus *Cons. 263 num. 4.* Ita quoque in regno Portugalliæ mercatoribus Hanseaticis degentibus concessum, vt ab omnibus muneribus, tam patrimonialibus, quam personalibus, & in specie a munere tutelæ, & ab omni collecta, pensi-

tatione & tributo, tam ordinario, quam extraordinario, omnique etiam seruitio & militia, tam mari, quam terra liberi penitus & immunes sint. Priuil. Hispan. 31 de anno *1607* referente Marquardo *de iur. mercat. l. 1 cap. 18 num. 10.* Ast in maritimis ciuitatibus, Lubecæ scil. & adiacentibus, censum mercium in vsu esse, nec disputatione egere, docet Meuius *P. 2 tit. 3 art. 2 num. 38.* Idem commonstrat nobis experientia in aliis Germaniæ ciuitatibus liberis non maritimis, vbi census quoque pro mercibus solui debet: quod longa consuetudine receptum tandem in ius abiit: quia consuetudo vim legis habet, ac iuri communi derogat. *l. de quibus 32 ff. de LL. Philippi in eclog. lib. 1 ecl. 25 num. 8.* Vnde haud sine iusta caussa illibata, & sarta tectaque seruantur, quæ consuetudine vetusta recepta sunt.

§. XI.

Quid porro de nominibus & actionibus dicendum, an & has mercator vt cætera bona in censum referre, & pro iisdem onera subire debet? Certe sunt nonnulli, qui id affirmant: Ratio illorum hæc est, quia actiones & iura ex persona creditoris æstimanda sunt, Carpz. *P. 3 C. 12 D. 14 num. 5,* & dicuntur esse de eo loco, de quo est persona creditoris, eique subiacere iurisdictioni, sub qua creditor habet domicilium, Col. *de process. execut. p. 1 cap. 3 num. 239* cuius ossibus tenacissime sunt affixæ, propter effectum exactionis, *l. quis ergo casus in fin. & l. si Sticho ff. de pecul.* Jo. Petr. Surd. *consil. 444. n. 4,* ab eoque non magis separari possunt, quam anima a corpore. Rauchbar *quæst. 17 part. 1 num. 2.* Immo per fictionem quandam iuris nomina debitorum ratione actionis competentis dicuntur esse in bonis *arg. l. Gaius 86 ff. de legat. 3*

l. 9 pr. ff. Rem pupilli saluam fore: quia qui actionem habet ad rem recuperandam, rem ipsam habere videtur. *l. is qui actionem 15 ff. de Regul. iur.* Neque huic sententiæ obstare videtur *l. si vnus §. pacta quæ. versic. ante omnia ff. de pact. l. fin. Cod. de hered. act.* vbi actiones etiam dicuntur adhærere ossibus debitoris, neque eius personam egredi: nam verum est illud, si passiue intelligatur, non autem, quando de iuribus & nominibus actiuis agitur.

§. XII.

Verum non ita simpliciter ad propositam quæstionem respondendum esse, adparebit ex sequentibus. Et locum heic illud inuenit merito, quod alias dici solet, qui bene distinguit, bene docet. Primo igitur distinguimus inter actiones & nomina, quæ certa sunt, & facilem habent exactionem, & inter illa quæ sunt inexigibilia, extinguibilia, incerta. Ex illis licite censum dependi debere affirmat Rota Genuensis *decis. 156*, Meuius *lib. 2 tit. 3 art. 2 num. 35*. De his autem aliquid præstandum esse, rectius negatur. Nec obstat *l. 15 de R. I.* quod is, qui actionem habet, ipsam rem habere videatur: procedit enim illa, si debitor est soluendo. Si enim non est soluendo, quid quæso ab eo exigi potest? Non vltra a debitore quid sperari potest, quam quo facultates eius sese extendunt: secundum commune prouerbium, wo nichts ist/hat der Keyser sein recht verlohren. Lauterb. *in differt. de benefic. compet.* & is nullam videtur actionem habere, cui propter inopiam aduersarii inanis est actio *l. 6 ff. de dol. mal.* & Klockius *cap. 11 de contribut.* ex Aluar. Valasco *in prax. 45 partit. & collat. cap. 8 num. 12*

D 2 affert,

affert, quod ea nomina tantum in inuentario describenda sint, de quibus reperiuntur schedulæ, chirographa, vel instrumenta iuridica in domo defuncti. Hæc certe quoque caussa est, qua inductus Matth. Colerus *in process. suo execut. P. 1 cap. 6 num. 146* expresse statuit, eum qui eiusmodi nomina non facilis exactionis habet, soluendo esse neutiquam dici posse.

§. XIII.

Quando autem nomen dicatur certum & indubitatum, exprimit Fulu. Pacianus *consil. 89 num. 6 seqq.* Certum nomen debitoris est, quod adpellatur indubitatum, vel quia nondum fuit deductum in iudicium, vt *gloss. fin. in l. 1 versic. si autem est indubitata Cod. ne liceat potent. & ibi Alber. sub num. 3*, vel quia de ipso debito constabat per confessionem debitoris, quæ quidem confessio faciebat actionem indubitatam, vt docet *gloss. in l. per diuersas. in verbo pro indubitatis Cod. mandat.* Vel vt præcedenti §. diximus, de quibus exstant schedulæ, chirographa &c. Verum hæc ita se habent respectu creditoris. Heic autem præcipue adtendere debemus ad debitorem, & de facultatibus eius dispicere: quid enim iuuat actionem meam esse fundatam, inanem vero propter inopiam debitoris? Dantur autem varii, atque innumeri casus, ob quos debitum possit dici incertum & dubitatum respectu debitoris; quamuis haud quidquam certi in iure hac de re sit constitutum. Nos regulam constituimus sequentem: *ob quamcunque caussam debitor vel reuera non est soluendo, vel pro tali habetur, illud debitum & dubitatum est, & incertum.* E. g. si debitor iuramentum paupertatis præstitit, vel ostiatim vadat, si bo-

si bonis cessit, si per famam vicinorum constat, nulla amplius adesse bona. Carpz. *P. 2 C. 18 D. 15 num. 4.* Vel si debitum sit antiquum, & aliquoties monitus non soluat, vel in remotissimis terris agat, & non sine negotio conueniri possit: quæ enim difficulter fiunt, in iure nostro ciuili non raro perinde habentur, ac si fieri non possent: vid. *l. 2 pr. ff. de his, qui satisdar.* Idem dicendum de latitante erit, aut tyranno, vel potentiore: quia quis idoneus æstimatur non tam patrimonio, quam fide quoque, *l. 112 §. 1 ff. de V. O.* Item, si debitor in illis regionibus versetur, vbi bella geruntur: quia possessionum suarum sunt incerti, nec fructuum participes & securi: hinc & egestati proximi dicuntur. Meuius *ad l. L. P. 2 tit. 3 art. 2 num. 15.* Pendent enim omnia ab immoderata & illicita libidine militum, qui immobilia vastant, mobilia diripiunt, &c. Et quis omnes casus recensebit? Iudicis heic multum valebit arbitrium: & a similibus ad similia facile fieri poterit conclusio. Vnde deinde sua sponte patet, quæ debita certa sint & indubitata respectu debitoris: quia contrariorum ea est natura, vt cognito vno illorum, cognoscatur & alterum. Quanquam Carpz. *part. 2 const. 18 defin. 16 num. 6* vix vnquam nominis facilem & expeditam esse persecutionem dicat.

§. XIV.

Videtur nihilo minus dubium restare adhuc circa actiones & nomina, licet sint certa & indubitata. Cum enim tributa debeant indici secundum æs & libram, illi qui maioribus præditi sunt facultatibus, locupletioresque existunt, plus soluant, quam ii, qui minus habent. Nec per malam bonamve gratiam hi premendi, isti

 suble-

subleuandi sunt, ex mente Klockii *cap. 16 de contrib. num. 48*, cuius verba sunt, quæ modo adtulimus. Id quod neutiquam eueniret, si mercatoribus non foret licitum, aliquid detrahere summæ, quam constituunt nomina in libris rationalibus. Qui enim paratam habent pecuniam in arca, omnino sunt ditiores iis, quorum facultates, si non omnes, maxima tamen illarum pars in actionibus consistunt. Satius est secundum tritum illud prouerbium, vnam auem tenere in manu, quam quinque in tecto habere. Equidem si libros rationales mercatorum inspicias, diuites illi adparent & opulenti: cum vero actio semper minus valeat, quam res ipsa, ad quam actio competit, tum propter metum, quod debitor facile possit ad inopiam redigi, tum si forte debitor fidem falleret, ob litis dubium euentum, cum possit perdi etiam iusta caussa propter iudicis defectum, Scaccia *de commerc. §. 1 quæst. 1 num 433*: idcirco mercator quoad illam actionum quantitatem creditur minus in bonis habere. E. g. mercator qui nomina habet sibi competentia aduersus exteros 4000 floren., ob modo allegatam rationem, quod scil. actiones minus valeant, quam res ipsæ, ad quas competunt, summo iure 3000 floren. profiteri potest: quia nunquam inueniet emtorem, si eas cedere alicui velit, qui maius offeret pretium, quam 3000 floren.: immo interdum longe minori eas vendere cogetur.

§. XV.

Deinde etiam distingui potest inter professionem & solutionem census. Debita incerta ac dubitata vtique profiteri fas est, quia & prædia sterilia in æstimum

scri-

scribenda sunt. *Festas. de æstim. & collect. cap. 1 num. 27.* At quidquam pro iisdem solui non debet: quia etiam ratione sterilium prædiorum nihil deperditur. *l. forma §. illam æquitatem ff. de Censib.* vbi dicitur: *si vites mortuæ sint, vel arbores aruerint, iniquum eum numerum inseri censui.*

§. XVI.

Denique circa professionem quoque mercatoribus aliquid remittendum multi suadent. Quorum ratio præcipue fundata est in vtilitate & necessitate Reipubl. quæ suprema lex est, *l. 5 ff. de decret. ab ordine fac.* & cuius caussa multa permittuntur, quæ alias prohibita sunt *ex Abbate, z in f. de sentent. & re iudicata in 6.* Quod si enim mercatores tam exacte omnia & accurate deberent indicare, prout reliqui ciues, inque casu negligentiæ tam graui coercerentur pœna, necesse foret, vt mercator singulis hebdomatibus libris suis rationalibus intentus rationem ineat facultatum suarum, quantum sibi debeatur, quid ipse debeat, quantum detractis detrahendis reliqui maneat, quot ponderum, mensurarum merces sint, quas possidet, & centena alia, ne scil. errorem committeret, & falso bona sua profiteretur. Hoc autem fieri modo, vt mercator talibus distractus curis non de amplianda & extendenda negotiatione, sed potius de contrahenda consilium ineat, metuens, ne aliis potius labor suus & industria profutura sit, quam sibi, aut suis. Immo nonnulli, quamuis etiam hoc velint, non tamen sine maxima iactura negotiorum suorum, mercatorem hoc præstare posse, contendunt. Quantum autem intersit Reipubl. commerciorum vsum esse liberum, & negotiationes

rationes florenti in statu conseruare, optime illi norunt, quorum potentia & opes per easdem incrementum coeperunt. Io. Sibrant. *de iur. publ. Reip. Lubecens. p. 1 sect. 2 num. 21 & seq.* vbi inter alia: Daß die Niderländischen Städte so hoch kostbahre Kriege geführet/ und Armaden unterhalten / haben allein die Intraden/ so sie vom Kauffmann durch Gottes Seegen gehabt/ ein und zugetragen/ welches billig allen Regenten die Augen öffnen soll/ daß sie über den Kauffmann/ deren Städte und Handel steiff halten/ und die commercia durch priuilegia vermehren. Et Wilhelm. Wselings in Bericht von der Süder-Compagnie in Schweden *de anno 1626. p. 30, 31 in fine.* Lather. *de censu lib. 3 cap. 12 num. 34* mundum negotiationibus carere non posse, affirmat. Hippolitus a Collibus *de princ. cap. 30* tantam esse mercaturæ vim dicit, vt ademta facultate mercandi (quod aliquando in regno Neapolitano factum est) prouinciales continuo ad inopiam redigantur.

CAPVT III.

§. I.



Cum itaque multum intersit, vt ciues sincere bona sua profiteantur, & tributa sine fraude & iniuria inferant, Meuius *ad I. L. P. 2 tit. 3 art. 3 num. 1.* Imperatoria autem maiestas ideo legibus armata sit, vt per legitimos tramites calumniantium iniquitates expellat, *pr. proœm. Inst*: ideo seuerissimæ sunt constitutæ pœnæ aduersus fraudatores ad aliorum nequitiam coercendam, & vt reliqui territi metu pœnarum

rum fideliter ea soluant, quæ magistratui debent. Crimen autem fraudati census (vti vocatur *in l. 1 C. de quæst. L. 1 ff.* §. *in caussa 20*, & *ibi* Gothofred. *eod. tit.*) non vno eodemque modo apud omnes populos punitur, sed in id varie animaduertitur pro diuersis gentium moribus. In plerisque Germaniæ ciuitatibus vsu receptum est, vt bona incensita mercatorum ob non solutas inde collectas, non secus ac merces ob non solutum vectigal, in commissum cadant, statimque fisco acquirantur. Faust. *de ærario class. 5 consil. 19 ordin. 540. in fin.*

§. II.

Vt autem hæc pœna locum habeat, duo requiruntur, & animus dolosus, & ipsa subsecuta fraudatio: quorum vnum sine altero subsistere non potest hoc in casu, sed ambo simul requiruntur: *arg.* §. *3 in fin. Institut. qui, & ex quib. causs. manu nit. non possunt.* Quid enim quæso interest Reipubl., si mercator animum habuerit fraudandi, non vero re ipsa quid commisisset in detrimentum ciuitatis? Cogitationum certe pœnam nemo patitur *l. 18 ff. de pœnis.* Et quamuis etiam quandoque cogitationes in iure nostro vindicari pœna dicantur, vt *in L. 6 pr. C. de his, qui ad eccl. confug.* & *L. 5 C. ad L. Iul. maiest.* hoc tamen non de meris cogitationibus intelligendum, sed quatenus ad actus exteriores progrediuntur, vt innuit ipsa *L. 6 verb. atque tractatu.* Heic autem ad actus externos non progressus est mercator, quia non defraudauit censum. Aut quid obesse possit mercatori, si quidem in effectu falso professus fuerit, non tamen animum malignum habuerit? Animus distinguit delicta, & malitiam tribuit actibus, *L. 53 pr. ff. de furt.* & fraudis

interpretatio in iure ciuili ſemper non ex euentu duntaxat, ſed ex conſilio quoque deſideratur. *L. 79 de R.I.* Crimen enim contrahitur, ſi & voluntas nocentis intercedit. *L. 1 C. de ſicar.* Et Iaſon *l. fin. num. 127 C. de iure emphyt.* nos docet, ſine dolo neminem re ſua priuari poſſe iure a ſuperiore, ne quidem a domino. Quod idem obtinet circa gabellas. Bertachin. *de gabell. p. 9 & vlt. num. 3.*

§. III.

Sed quomodo de dolo conſtabit? an magiſtratui credendum, qui in facultates inquirit, bona æſtimat, conficit inuentarium, & facta collatione inuenit, non recte cenſum profeſſum fuiſſe a defuncto: an, inquam, magiſtratui credendum, vt nihil amplius requiratur ad dolum probandum? aut fides habetur officiali, qui ærario præeſt, quando denuntiat aliquem in crimen fraudati cenſus incurriſſe: adeo vt legitimo modo & proceſſu conſueto aduerſus peccantem non foret opus? primo videtur quidem intuitu res ita ſe habere: ex hac ratione, quia inquiſitione magiſtratus ſtatur ſecundum ius canonicum, *capit. qualiter X. de accuſ.* ſaltem donec contrarium probet is, qui denuntiatus eſt non ſoluiſſe gabellas. Bertachinus *de gabell. part. 9 & vlt. num. 38 in fin.* Nam magiſtratui in his, quæ circa officium facit, & ad illud pertinent, credi debet, *cap 7 poſt ceſſionem, vbi* Panormit. Felin. Dec. *X. de probat.* Ziegl. *in prælect. ad decretal. ad hoc capit. p. m. 263.* Immo & officiali denuntianti non ſolutas eſſe gabellas fides habetur, donec denuntiatus contrarium probet. Specul. *de accuſ. §. 1 in fin.* Bertachin. *de gabell. parte 9 & vlt. num. 38 in fin.*

§. IV.

§. IV.

Cum vero dolus non præsumatur, *L. quoties §. qui dolo. ff. de probat. L. dolum. Cod. de dolo*, sed alleganti eum onus probandi incumbat, Bart. & Dd. *in L. si quis ex argentariis §. vlt. ff. de edend.* Carpz. *lib. V Resp. XIII num. 4*: quapropter ab officialibus, immo etiam a magistratu hoc requiritur, vt fundamentum actionis suæ probent. Affirmanti enim incumbit probatio, & ordo hic est iuris, quod qui agere vel accusare volunt, debeant primo probationem afferre. Et actore non probante, reus absoluitur. *L. qui accusare, cum concord. ibi in gloss. adductis C. de edend.* Et quidem officialibus publicis non statim esse credendum, docet *l. diuus 3 de custod. reor.* & *L. singuli 14 Cod. de accusatio.* vbi dicitur, *singuli vniuersique iudices cognoscant, in publicis criminibus non oportere emendicatis vti suffragiis decretorum, aut relationibus a destinandis personis publicis credere, sed rei veritatem inquirere*, & *L. 1 Cod. de curiosis lib. 12. Curiosi & stationarii, vel quicunque funguntur hoc munere, crimina iudicibus nuntianda meminerint, & sibi probationis necessitatem incumbere &c.* Adeo, vt pro rei qualitate puniantur tanquam calumniatores, *cap. 2 X. de calumniator.* aut falsarii, si falso deferant scienter. Magistratui autem non creditur in rem suam contra alios in facto non antiquo, præsertim extraiudicialiter & coram se non gesto, & quando non seruato iuris ordine procedit. Wesenb. *tom. 7 consil. 336 in rationibus decidendi in prima quæstione* §. daß mehr ist ꝛc. Immo aperti iuris est, quod non liceat iudici, non præcedente sufficienti caussæ cognitione, aliquem spoliare possessione sua, vel vsu pos-

ſeſſionis ſuæ: & ſi quis a iudice tali ſpoliatus fuerit, ante omnia debeat reſtitui. *c. conquerente X. de reſtitut. ſpoliat.* Per quem textum patet, quod ſi iudex proceſſerit extraiudicialiter, tunc non præſumatur pro eo, & quod etiam contra iudicem iniuſte ſpoliantem poſſit agi poſſeſſorio recuperandæ poſſeſsionis, ſicut contra priuatum Schurpf. *cent. 3 conſil. 6. num. 7 & 8.* Citra ordinem ſolennem fruſtra bona aduerſarii tui in te transferri deprecaris, Imperator Gordianus reſcripſit *L. 14. C. de pactis*, & proceſſus non debet incipere ab executione. *arg. L. 58 ff. de re iudic.* Potiſſimum vero magiſtratui non creditur in his, quorum ratio dependet a mera ſuperioris poteſtate, vt cum agitur de iure vel bonis alicuius auferendis: late Crauet. *de antiquit. temp. part. 1 §. 1 num. 16.* Atqui heic agitur de poſſeſſione & iure auferendo, quod non niſi ex iuſta cauſſa, & eadem probata fieri poteſt. Menoch. *remed. recuperand. 3 num. 3, 8, 9.* Quoties autem alicui non poteſt aliquid auferri ſine iuſta cauſſa, toties illa non præſumitur, Barthol. *L. item ſuſpectus 19 ff. de procurat.* nequidem in principe aut magiſtratu. Alciat. *præſumt. reg. 3 præſumt. 8 & 9 num. 7.* Potius contraria eſt præſumtio, quod non iuſte moueatur ad rem alteri ſine proceſſu iuris auferendam. Menoch. *recuper. remed. 8 num. 3 cum ſeqq.* Ad obiectiones antea allatas reſpondet Weſenbec, *cit. conſilio in rationibus decidendi ad ſecundam quæſtionem* §. Sintemahl dann *circa finem.* & *in rationibus decidendi ad primam quæſtionem §. multo minus.*

§. V.

Hæc autem doli probatio in mercatore ſi non plane

ne impossibilis, difficilis tamen certe erit. Quod illi optime norunt, quibus mercatorum conditio & status est cognitus, quique aliquantulum apud eosdem commorati fuerunt. Cum enim a dolo, adeoque etiam ab eius poena, qualibet caussa, etiam iniusta excuset, *L. igitur 12 ff. de liberal. caussa. gloss. L. 1 de plagiar. l. vnic. in fin.* vbi Iason & Dd. *ff. si quis ius dicenti*; licet adeo iniusta sit caussa, vt feris magis immanibus habeatur consentanea, quam homini, Cacheran. *Consil. 65 num. 16*, nihilominus tamen etiam bestialis caussa delinquentem a crimine liberet, Carpz. *P. 4 C. 3 D. 18 num. 17*: quis non videt, nunquam probabilem eiusmodi caussam defuturam mercatori: dumque reliqui nimis sollicitι sunt de vna vel altera ratione, quae ad excusandum inseruire ipsis possit, hi (scil. mercatores) nescio quot earum in promtu habent. Iam mercium, quas possidet, pretium in tantum crescit citra omnem spem atque opinionem, vt fere duplum alias consuetae aestimationis excedat, incertum tamen, quamdiu duret. Iam ob probabiles & indubitatas rationes illos, quos soluendo crediderat, & de quibus persuasus semper fuerat, quod sint soluturi, inter inidoneos & incertos debitores referre cogitur. Mox illi, qui bonis cesserant, ad pinguiorem redeunt fortunam inopinantibus nobis, nomenque suum expungunt, quod minime futurum putaueramus. Interdum tam ampla & copiosa est negotiatio, vt nisi maximam velit pati iacturam mercaturae suae, rationem facultatum suarum inire sine sumtibus immensis non possit: quapropter ei ignoscendum, si non exacte in omnia inquirat, & accurate indicet. Quandoque nonnullorum com-

mercia ita ſunt comparata, vt negotiator per integrum annum non niſi tres aut quatuor ſeptimanas domi reſtet, reliquum tempus aut emendis mercibus, aut debitis exigendis intentus in remotis & longinquis peragat terris. Seruis vero & famulis quos alit, poteſtatem dare arcana patrimonii inueſtigandi, nimis periculoſum foret & damnoſum. His & centenis aliis ſimilibus mercatores aut illorum etiam heredes vti poſſunt ad declinandum dolum, eiusque pœnam, ſi aut viuis ipſis inquiratur, aut poſt mortem inuentarium conficiatur, & adpareat plus eſſe in bonis, quam indicatum fuerit. Quæ tamen aliis, qui mercaturam non exercent nullo modo prodeſſe poſſunt. Quia illorum patrimonium conſiſtit plerumque aut in pecunia parata, quæ facile numerari poteſt, aut in rebus immobilibus mobilibusque, non tamen ita incertis & abſentibus: neque etiam in tanta magnitudine & copia, vt facile inuentarium poſſit confici.

§. VI.

Ex vero igitur dolo hæc pœna commiſſi indicitur, qui nullo modo excuſari poteſt. Sub quo vero neutiquam culpam latam intelligimus: licet in iure dicatur, dolum & culpam latam æquiparari *l. quod Nerua 32 ff. depoſit. L. 4. ff. de magiſtr. conuen.* Vel enim, vt aliqui volunt, de lata culpa verſutiæ ſeu malitiæ intelligendum hoc eſt, non culpa ignauiæ; vel quod magis placet, iſta æquiparatio tantum in cauſſis ciuilibus, ſi ad reſtitutionem rei ſeu ad intereſſe ciuile agitur, non vero in cauſſis criminalibus valet: quoties enim pœna eſt irroganda, vt heic, toties dolus & lata culpa non æquiparantur. Inprimis ſi ope iuramenti res ſuas profiteri

cogun-

coguntur: tunc enim præcipua pœna periurii est infamia. *L. 41 C. de transact.* Atqui infamia non nisi ex certis causlis irrogatur, inter quas non reperitur lata culpa.

§. VII.

Quid si igitur quidam ex mercatoribus inueniatur (vitia enim erunt donec homines: Tacitus *histor. lib. 4 cap. 74 num. 4*) qui adeo peruerso sit animo, vt sciens lubensque velit defraudare censum, & partem bonorum, de qua certus est, quod possideat eam, reticere: num pars illa bonorum ipso iure statim cadit in commissum, quem ad modum hoc in vectigalis fraude statutum legimus? ita nonnulli sentiunt, vt pœna commissi tam in hoc crimine, quam in crimine defraudati vectigalis vel gabellæ locum habeat: vid. Winzlerus *de collectis consil. 5 n. 7 & 8.* Et sic tam in facultate iuridica Ingolstadiana quam Tubingensi, consulendo conclusum fuisse, testatur Georg. Euerhard. *Volum. I consil. 3.* Besold. *P. 3 consil. 91 num. 75.* Plures allegat auctores, qui eandem tuentur opinionem Klockius *libr. de contrib. cap. XVIII num. 77 seqq. cap. XIX num. 541 p. m. 521* simulque allegat rationes, quibus vtuntur ad colorem inducendum suæ assertioni. Quas vero idem eodem loco *num. 581 p. m. 524* in examen vocat, & dilucide ostendit, quod ex nullo innitantur fundamento.

§. VIII.

Nos negatiuam defendimus sententiam, quod scilicet bona in censum non relata eodem modo possint confiscari, prout in crimine defraudati vectigalis. Primo: quod argumentum a vectigalibus ad collectas locum

cum non habeat, quod adducit Besoldus *loc. cit. num 86, 104 & 105*: quia pœnæ, præsertim tam graues, non sunt producendæ ad casus non expressos *cap. in pœnis 49 de R. I. in 6to*, Zasius & *gloss. ad §. ex maleficiis, Inst. de action.* ne quidem ob similitudinem, vel etiam ob identitatem rationis. Odiosæ enim dispositiones restringendæ potius, quam ampliandæ sunt. *Cap. Odia de R. I, in 6to.* Inprimis quando aliqua diuersitatis caussa subest: vti heic: Illa enim pro restauratione viarum, pontium, & fluminum imponuntur, quæ transeuntes aduenæ & extranei, qui pedes in stapedio habent, facile defraudare, resque mobiles alio transportare & auferre possunt. At in tributis & collectis hæc aliter se habent: ibi quilibet pro agris & fundis rebusque tributariis quas possidet, remota omni pactione illicita, publicas pensitationes agnoscere tenetur. Vid. latius hac de re differentem Wesenbec. *cit consil. in rationibus decidendi ad secundam quæstionem* §. Vors dritte.

§. IX.

Secundo id colligimus ex recessu Imperii *de anno 1544* §. doch sollen ꝛc. Quæ enim caussa fauorabilior esse possit, vt fraudulose reticens bona puniatur amissione illorum, quam collectæ Turcicæ? eiusmodi homo enim non solum in vnius superioris præiudicium aliquid committit, sed in totius Imperii salutem publicam & tranquillitatem. Nihilo minus tamen constitutum reperimus, quod pro quantitate & qualitate celatorum bonorum, & ipsius dolosæ celationis, pœna diuersimode sit imponenda. Quæ variatio non esset necessaria, si pœna commissi, quæ in omnibus casibus, & tam in magna,

quam

quam in parua quantitate semper vniformis est, locum haberet. Verba sanctionis hæc sunt: Würde aber einer oder mehr zu ihrem Vortheil und Abkürzung dieser Christlichen Steuer und Anlag / in seiner anzeige zu wenig anzeigen und versteuren wollen / den oder dieselb soll ihr Obrigkeit nach grösz oder kleine seines verschweigens / und nach gestalt derselben unnachläszlich straffen.

§. X.

Tertio hoc adparet ex eod. recessu imperii §. aber zu Einbringung rc. vbi confiscationis pœna tantum Iudæis est imposita. Verborum tenor hic est: Wo ihrer (der Juden) einer oder mehr Gefahr oder falsch hierin zu gebrauchen vermerckt würde / der soll der Obrigkeit darunter er wohnhafftig / angezeigt werden / und durch solche seine Miszhandlung den halben Theil aller seiner Haab und Güter verwürckt und verfallen haben. Ex quibus constat, quod tanta animaduersio præscripta sit aduersus Iudæos, & quidem in terminis illius constitutionis, nempe in collectis Turcicis: partim in odium detestandæ illorum perfidiæ, partim in fauorem collectæ Turcicæ. Christiani igitur in vulgaribus collectis defraudatis non simili pœna affici possunt. Quia in odium Iudæorum quam plurima sunt introducta, quæ ad Christianos extendere minime licebit. Hippolit. de Marsil. *singul. 463*, Berlich. *P. 3 conclus. 14 in num. 31.*

§. XI.

Multæ adhuc aliæ superessent caussæ, sed vereor, ne multitudine illarum molestiam B. L. creem: quapropter eas omitto. Et ea quidem quæ supra diximus, ita se habent, si expressa constitutione nihil cautum sit, quod

 bona

bona debeant fisco adplicari. Quodsi enim statutum aut lex ante euenientem casum condita, qua bona fisco addicuntur, certe illa obseruari debet, aut si longa consuetudine hoc introductum sit: in talibus enim casibus & pœnis ex interpretatione iuris semper est considerandum, quo iure retro ciuitas sit vsa *L. si de interpretatione 36 de LL.* Nam talis obseruantia, stylusque curiæ, & res similiter iudicatæ ius faciunt *l. nam imperatori 37 eod. tit.* & in collectis, earum exactione, ac consequenter in pœnis contra fraudantes & non profitentes consuetudinem plurimum valere, testatur Klockius *de contribut. cap. 2 num. 69.* Confer ea quæ habet Wesenbec. *in allegato consil. in rationibus decidendi ad secundam quæstionem* §. Ja daß solch ꝛc. Notandum tamen bene, quod intuitu huius pœnæ sit non leuis differentia inter mercatorem qui in vrbe municipali viuit, & inter mercatorem qui in ciuitate libera, vel sub eius iurisdictione, qui habet regalia, degit. Ille enim securus esse potest, quod tam grauis pœna in eum a magistratu municipali decerni non possit: non item hic. Nam qui regalia, ius fisci, & merum mixtumque habent imperium, & vigore suæ iurisdictionis collectas imponunt: iisdem quoque quoad exactionem & executionem potestatem bona incensita, & in præstatione collectarum celata fisco adplicandi, desuperque actionem commissoriam exercendi libere indulgemus. Hoc vero neutiquam de ciuitatibus quæ superiorem recognoscunt, asseri poterit. Vtpote quibus nec ius fisci competit, quæque fiscum nullum habent, sed tantum bursam, siue arcam communem *l. 1. § quibus autem ff. quod cuiusque vniuers. nom.* Nisi hoc

ciui-

ciuitatibus prouincialibus siue municipalibus a superioribus expresse vel tacite concessum fuerit, vel consuetudine praescriptum. Lauterb. *Vol. 3 Dissert. de iure fisci* § 6. Et licet nonnulli statuant, vrbes municipales habere potestatem statuta, contraria etiam iuri scripto, condendi; id tamen restringendum est ad ea, quae pertinent ad vtilitatem & necessitatem illius ciuitatis, non vero ad ius fisci & regalium extendi debet.

§. XII.

Quid dicendum de illa consuetudine aut lege, qua continetur, quod mercatorum bona non ea tantum, quae non in censum sunt relata, sed & reliqua, adeoque vniuersum patrimonium cadat in commissum: ita vt si quid mercatoris heredibus relinquatur de iisdem, id fauori & beneuolentiae magistratus sit tribuendum? Ad consuetudinis requisita si adtendimus, non profecto illud vltimum est, quod debeat esse rationabilis, lex autem iusta: quae iustitia consistit in congruentia cum iure naturali, cum dictamine rectae rationis, & principiis practicis. Boeclerus *Instit. polit. lib. 2 cap. 3 §. quod dictum est &c. p. m. 123.* Iam vero quis est, qui iuris naturalis esse dicat, quod reus debeat maiores ferre poenas, quam delinquendo contraxit, criminique commisso conueniunt. Siquidem secundum delicti magnitudinem vel qualitatem poena imponi debet: quia poena non debet grauior esse sua caussa, *L. sanciamus 22 C. de poen.* & poena semper debet correspondere delicto *L. 8 C. ad L. Iul. de vi publ.* Vbi autem nulla est negligentia, ibi etiam nec poena esse debet Carpz. *Part. 3 Const. 32 Def. 18 num. 6.* Neque res aliter se habet circa vectigalia: ibi enim tantum illae res,

quæ vehuntur, & non professæ fuerint, incidunt in commissum. Bertachin. *de gabell. part. 9 & vlt. num. 7.*

CAPVT IV.

§. I.



Actenus actum est de delinquente mercatore adhuc viuo: quid si post mortem eius adpareat, eum fraudulenter bona reticuisse, censuique imposuisse: an hæredes propterea conueniri poterunt, vt pœnam soluant, & præstent ea, quæ commisit defunctus. Ita quidem videri posset, quia successor vniuersalis (siue sit heres proprie sic dictus, i. e. ciuilis, siue improprius, Prætorius, i. e. bonorum possessor, nihil in effectu interest) repræsentat personam defuncti, & pro vna eademque persona habetur cum defuncto. *Nouel. 48 in præfat.* Quapropter etiam actiones in ipsum & actiue & passiue transire dicuntur: textus clarissimi sunt *in l. 37 ff. de acquir. vel omitt. hered.* vbi Pomponius *heres*, inquit, *in omne ius mortui, non tantum singularum rerum dominium succedit, cum & ea quæ in nominibus sint, ad heredem transeant l. fin. Cod. de hered. act. l. 13. Cod. de hered. instit.* adeo vt licet hereditas soluendo non sit, aduersus heredem tamen transeant actiones *l. 8 pr. ff. de A. vel O. H.* nisi inuentarium confecerit *l. fin. Cod. de iur. delib. Nouel. 1 cap. 2.* Deinde non est dubium vllum, quod defraudatæ & a defuncto non solutæ collectæ pœna ab eorum heredibus exigi possit, ex hac ratione, quoniam neque etiam in controuersiam venit, quod pœna commissi ordinarie ad heredem

transeat

transeat per *L. 8 in pr. ff. de publican.* vbi dicitur *fraudati vectigalis crimen ad heredem eius transmitti*: idque hanc ob caussam, quia quod commissum est, statim desinit esse eius, qui deliquit, dominiumque rei vectigali acquiritur. Hinc aduersus quemuis siue heres sit, siue alius singularis successor, datur rei vindicatio. Et Bertachin. *de gabell. p. 9. & vlt. num. 10 & 12 in summa*, inquit, *quemadmodum res, de quibus non est soluta gabella incidunt in commissum, & a fisco vel gabellario vendi possunt, vel vindicari etiam ab herede fraudantis mortui: ita etiam de bonis, de quibus non fuit soluta collecta, quae solui debuerat:* quam in rem quoque iura, & auctoritates adducit.

§. II.

Verum haec omnia nobis non facessunt negotium: est enim responsio in promtu. Quippe omnes actiones ex delicto descendentes ante litem contestatam adversus heredes & similes successores non transeunt, sed morte delinquentis extinguuntur. §. *1 Inst. de perpet. & tempor. action.* Et actiones in criminibus publicis, etiamsi inchoatae & coeptae fuerint accusationes, non tamen in successores transeunt: cum crimen morte rei cum poena extinguatur Carpzouius *lib. III responsione 38 num. 23* & quia noxa caput sequitur *L. 1 §. 2 ff. de priu. del.* h. e. delictum & obligatio auctorem suum sequitur. Tabor *racem. crim. 1 θ. 48.* Siue vt Bachouius id declarat *de action. Disp. V. θ. 4: quia delictum ita afficit personam delinquentis, vt extra illam, & ab ea relatio transferri & transire non possit, ne quidem in heredem, & caeteros successores: qui licet succedant in vniuersum ius defuncti adeoque in actiones passiuas, tamen delictorum successores*

 non

non efficiuntur : nec ratione delictorum propter eorum personalitatem defunctum repraesentant , qua repraesentatione denegata , necessario quoque negatur ius agendi contra successores. Neque etiam in priuatis delictis ad heredes transeunt pœnales actiones, etiam si aliquid ad successores peruenit. Vide plura apud Lauterbach. *dissert. Vol. 1 disp. de transitione actionum* §. 32.

§. III.

Ad alteram obiectionem respondemus , quod illa supponat id pro certo, quod nos in dubium vocamus, & supra exposuimus, scil. quod actio commissi possit exerceri, si hoc non expresse statutum. Quare etiam illud quod superstruitur fundamentis infirmis , subsistere non potest. Et finge rem ita se habere, quod possit exerceri: nihilo minus tamen secundum Dd. communem sententiam actione commissi tum demum conueniuntur heredes, si res sit commissa ipso iure, & crimen adeo notorium, vt defendi nullo modo sine colore possit. Baldus *num. 7* & Feudistæ in *c. imperialem* §. *insuper. de probib. feud. alien. Quam opinionem , inquit* Julius Clarus *de feud. quaest. 65. per totum , ego sequor , si delictum esset adeo notorium & inexcusabile, quod nullo pacto negari aut defendi possit. Sed si eguerit aliqua probatione , vel possit aliquo colore excusari , mihi nunquam placuit , quod possit feudum, eadem autem ratio est in reliquis, gloss. ult. & Dd. L. fin. Cod. de reu. donat. , hoc casu ab heredibus reuocari : est enim valde iniquum, vt de delicto mortui , qui se defendere non potest , agatur ad praeiudicium heredis , qui non deliquit.* Sicque se aliquando, cum casus in facto contigisset, respondisse testatur ibidem. Quemadmo-

admodum autem supra diximus, quod mercatori facilius sit, exceptionem ad se excusandum inuenire, quam alii, qui mercator non est: ita quoque heredibus mercatoris plures exceptiones in promtu erunt, quam aliorum heredibus. Quas tamen exceptiones lubentius admittunt illi, qui mercaturæ gnari sunt & simul litterati, quam alii, qui negotiationes ignorant, & tantum litteris imbuti. Hisce enim si non plane impossibiles, at certe incredibiles saltem videntur hæ exceptiones. Insuper etiam illæ exceptiones facilius cogitationibus adsequuntur, quam verbis exprimi omnes possunt.

§. IV.

Supersunt alii modi, quibus in heredes mercatoris non transit pœna, licet ipso iure res in commissum cadat. Vt sunt, si quinquennium a tempore delicti effluxerit. In delatis enim & commissis ob vectigal non solutum, præscribitur aduersus fiscum spatio quinquennii *l. 2. Cod. de vectigal. & commiss.* Quod etiam extenditur ad alios casus, in quibus bona ipso iure fisco adplicantur, veluti si ex forma statuti bona non castrata fisco sint deuoluta. Faust ab Aschaffenburg *Consil. pro ærario consil. 42 ord. 760 conclusione quarta p. m. 466.* Aut si refusio collectæ absque reseruatione pœnæ ab illis, qui publica auctoritate ærario sunt præfecti, simpliciter est accepta. Quid de liberationibus datis illorum qui ærario præsunt, dicendum sit, an & postea conueniri adhuc possint mercatores aut alii ciues actione commissi, vid. Wesenb. *cit. consil.*

§. V.

Vltimo loco admonendus est B. L. quod pleraque

quæ

quæ in poſterioribus capitibus explicauimus, reliquis ciuibus etiam, ſuo tamen modo, poſſint adplicari: ſi quidem conſuetudo quoque talis ſit, vt eorum bona incenſita fiſco addicantur. Cæterum finem imponimus diſſertationi noſtræ, atque Deo T. O. M. grates perſoluimus debitas, quod & ſanitatem & vires conceſſerit ad hoc opus neceſſarias: cuius tutelæ, me meaque omnia etiam in poſterum commendo. Tu vero B. L. hæc, quæ a me ſcripta ſunt, benigne accipe, & ſi quid occurrit, quod parum accurate poſitum tibi videbitur, & breuitati temporis & librorum inopiæ tribuas velim.

FINIS.

